

*jacuerint, nec pro se respondere potuerint, baptizandos puto, ut etiam hoc peccatum cum cæteris lavacro regenerationis abluatur. Quis enim novit, utrum fortassis adulterinæ carnis illecebra usque ad Baptismum statuerant detineri.*

*Inst.* Sacerdotale Romanum Venetiis an. 1560. a Jo. Vorisco excusum fol. 62. profert et approbat sententiam S. Antonini, tract. de sacram. Pœnit. c. 26. qua decernitur, infirmo, *qui amisit loquelam vel usum rationis... si bene vivebat ut bonus fidelis, et frequentabat confessionem et communionem, quamvis non petierit sacramenta, absolutionem esse impertiendam.* Simile quid habetur in statutis synodalibus Ecclesiæ Lemovicensis conditis an. 1619. c. 21. et Ritualibus Ecclesiarum Moguntinæ, Herbipolensis ac Wormatiensis, editis an. 1671. p. 87. de Pœnit. sacram. Deinde licet Theologi paulo antiquiores dicantur concludere pro sententia rigidiore; non pauci tamen tam veterum, quam recentiorum recitantur benignioris opinionis patroni, a Diana tom. 3. resolut. moral. tract. 3. Porro multi non Theologorum duntaxat scholasticorum, sed Eminentiss. ac Illustriss. etiam Cardinalium et Episcoporum censent, mitiorem istam disciplinam S. Augustino fuisse probatam, et in his Ecclesiis executioni decere mandari. Dubia igitur res est, utri partium adversarum sit adhærendum. Denique utcumque Thomistarum sententia (quod actus pœnitentis sint materia sacramenti *ex qua*) probabilior iudicetur, manet tamen sua probabilitas opinioni Scotistarum tenentium, contritionem et confessionem esse materiam *circa quam*, seu dispositionem absolute requisitam, ut habeatur effectus sacramenti pœnitentiæ. Unde sequitur data absolutione integrum esse sacramentum integritate substantiæ, quamvis dolor et confessio ægroto desint. Atqui cum dubium est, an sacramentum valeat ac prosit urgente necessitate; conferendum est, ut hominis saluti consulatur; ergo. Ita Joan. Morinus L. 10. de pœnit. c. 10. n. 4. Merbesius in summa Christiana, dissert. 4. de Pœnitentia. q. 85. et alii recentiores qui pluribus adhuc argumentis sententiam mitiorem laborant stabilire.

R. N. Cons. Sive confessio cum dolore sit materia *ex qua*, sive materia *circa quam*; materia tamen sacramenti hujus pronuntiatur a Concilio Tridentino Sess. 14. cap. 3. et pars sacramenti pœnitentiæ, can. 4. Quod certe non essent si nullo signo externo probabiliter sub sensu caderent, prout in dato casu accidit. Absolutio ergo nequit impendi, quando ne probabilis quidem sacramenti materia apparet. Hinc S. Facultas Parisiensis 3. Febr. an. 1665. hanc ex Amadæi Guimenii libro excerptam propositionem proscripsit: *Infirmus, qui amisit loquelam, vel usum rationis, si bene vivebat ut bonus et fidelis, frequentabat confessionem et communionem, quamvis non petierit sacramenta, quia ex insperato talia acciderunt, debet præsupponi contritus et faciente aliquo confessionem generalem pro eo, sicut fit in populo, sacerdos faciat absolutionem ab omni sententia et peccato.* Talis quoque est propositio 16, quam inter plures alias a suis Professoribus doceri prohibuerunt Superiores Societatis Jesu in Ordinatione pro studiis superioribus. Sententiam istam non Thomistæ modo, sed Scotistæ etiam amplectuntur: eamque Cardinalis de Lugo dist. 17. de pœnit. sect. 3. n. 39. et 40. ait, merito ab omnibus ut certam supponi, nec expedire, in re tanti momenti sub pietatis specie plus sapere, quam Patres nostri sapuerunt.

Cum hac sententia speculative certa mitiorem conciliant, qui gemitus,

suspiria, respirationes, oculorum membrorumque aliorum inusitatas motiones tanquam signa dubia, quæ moribundi suam contritionem et absolutionis desiderium pro tenuitate testari videntur, probabiliter aiunt, sufficere sacerdoti, ut beneficio absolutionis periclitanti et possit, et debeat opitulari. Quod si talium signorum defectu, videatur aliquibus vita christiane acta sufficiens esse confessio, eo quod tali conversatione quivis sibi cupiat prodesse quantum potest, intendat se in tali casu ad obtinendam absolutionem manifestare; putentque ob reflexa et practica judicia, talibus absolutionem, saltem cum conditione, minime esse negandam: non video tamen, qua probabilitate sustineri possit, quod Bonagratia aliique affirmant, in casu posito, absolvi posse laborantem infamia, in actuali peccato sensibus destitutum, in duello vel adulterio confossum. Vid. La Croix L. 6. p. 2. 1163.

## ARTICULUS VI.

## DE SIGILLO SACRÆ CONFSSIONIS.

303. *Nota.* Inter officia, quæ ministro sacramenti pœnitentiæ incumbunt, ordine postremum est obligatio reticendi omnia, quæ pœnitentes in sacro hoc tribunali confessi sunt, quæque inter ipsum et confitentem in negotio isto salutis fuerant tractata. Nam licet sacerdos, pœnitente dimisso, cæteras suæ functionis partes numeris omnibus absolverit: legibus tamen sacri hujus silentii tum demum arctissime et perpetuo ita incipit adstringi, ut nemini unquam de iis, quæ sibi in pœnitentiæ sacramento credita fuerunt, verbo aut signo alio deinceps mentionem, pœnitente invito, fas sit ingerere.

De sacro hoc vinculo, quo sacerdotum linguæ tenentur, quodque passim *sigillum sacramentale* in scholis audit, tractat S. Thomas in 4. d. 21. q. 3. a. 2. et seqq. et in supplemento 3. p. q. 11. tota, et cum eo Theologi cæteri. Secundum quorum placita sigilli hujus veritatem, naturam, firmitatem, originem cæterasque proprietates et affectiones breviter expendemus.

306. *Dico I.* Minister pœnitentiæ sacramenti obligatione gravissima tenetur ad reticendum perpetuo ea omnia, quæ sibi pro confessione credita fuerunt a pœnitente. Ita Theologi communiter, et Canonum consulti, qui contrariam quorumdam veterum ac recentiorum opinionem tanquam erroneam rejiciunt.

*Prob. I.* S. GREGORIUS M. c. Sacerdos, de Pœnit. d. 6. vetat, peccata cuiquam hominum recitari, neque pro aliquo scandalo quidem. Quod si sacerdos secus fecerit, *deponatur*, inquit, *et omnibus diebus vitæ suæ ignominiosus peregrinando pergat.* At scandali quidem evitandi causa suadet, multa fieri aut omitti, quæ alias citra peccatum omitti non poterant aut exerceri. Concilium Lateranense can. 21. (Lab. t. 11. p. 173. C.) qui habetur cap. *Omnis utriusque*, de pœnit. et remiss. idem statuit: *Sacerdos caveat omnino, ne verbo vel signo, aut alio quovis modo aliquatenus prodatur peccatorem... Quoniam qui peccatum in pœnitentia judicio sibi delectum præsumpserit revelare, non solum a sacerdotali officio deponendum decernimus, verum etiam ad agendam perpetuam pœnitentiam, in arctum monasterium*



*detrudendum.* Honorius etiam III., cum Joannem presbyterum Rectores Urbis ad fures sibi confessos prodendum urgerent, jubet illos a proposito abstinere: *quia* perniciosum esset, prædictum presbyterum sibi taliter credita revelare; severissimam ergo hujus silentii legem oportuit olim fuisse.

*Prob. II.* Eadem obligatio oritur ex jure naturali, quod prohibet revelari occulta proximi peccata et vitia, ne infametur. In quam rem Servator Matth. 18. v. 15. *Si peccaverit, inquit, in te frater tuus, vade, et corripe eum inter te, et ipsum solum.* Fides item et justitia hanc reticentiam exigunt: credit enim sua peccata pœnitens sacerdoti, et hic tacite condicit silentium. Præterea exigit reverentia sacramenti, secreta haberi, quæ sacro huic tribunali committuntur: sicut injuria et irreverentia loco sacro fieret, si, quæ ibi, ut in asylo deposita fuerant, efferrentur.

*Prob. III.* Validissimum sigilli hujus omnino inviolabilis argumentum affertur ex Concilio Senonensi celebrato an. 1324. a Suaresio disp. 33. sect. 4. n. 8. petitum ex S. Thoma nuper cit. Christus, qui confessionis sacramentum instituit, necessario etiam censetur ordinasse omnia media, sine quibus præcepta confessio sustineri non posset. Atqui præceptum confessionis non subsisteret, sine arctissimo illo et nullo in casu violabili sacramenti sigillo; ergo tenendum plane est, sapientissimum legislatorem adjecisse hoc præceptum divinum sigilli hujus nequaquam violandi, quod non sit mere positivum, sed simul negativum et naturaliter consequens sacramenti ipsius institutionem. *Minor propositio* constat: nam si secretum hoc pro arbitrio sacerdotis, aut alius magistratus revelari liceret, omnes passim ab eo averterentur; imo tantum timentes incommodum ne tenerentur quidem peccata sua sacerdoti aperire.

Unde liquet, in nullo casu licere secreta confessionis ulli prodere: neque curandum sacerdoti, etiamsi Episcopus ei fulmen excommunicationis intenet, nisi jussus arcana sibi in confessione credita retegat; prout S. Thomas sæpe memoratus monet. Neque sacerdoti tantum ministro sacramenti obligatio ista incumbit, sed aliis etiam, qui non nisi ex confessione secretorum illorum notitiam hauserunt: cujusmodi sunt superiores, qui ad absolvendum a reservatis facultatem concesserunt; interpres adhibitus a pœnitente aut confessario; is quem confessarius cum pœnitentis venia consulit; qui furtim, licet inviti, confitentem audierunt; ii quibus confessarius ex imprudentia, vel ex malitia peccatum prodidit. Quod si tamen quis schedium, in quo pœnitens peccata sua descripsit, fortuito invenisset, ad silentium is quoque teneretur, ex præcepto charitatis, non autem sigilli sacramentalis.

307. *Dico II.* Materia sigilli hujus non sunt tantum peccata pœnitentis, quamvis levissima, sed omnes etiam eorum circumstantiæ et adjuncta, antecedentia, comitantia et consequentia, ex quibus peccatum complicitis, item defectus, infirmitates, damna, detrimenta tam pœnitentis quam aliorum cognoscuntur per confessionem, quorum revelatio aut notitia ab ipso etiam confessario in usum deducta sacramentum pœnitentiæ possent reddere odiosum.

Hinc non licet patefacere, si quis defectum natalium, irregularitatem aut

censuram ecclesiasticam pœnitentis ex confessione perceperit. Peccata pœnitentis publica non licet repetere ex confessione, v. g. de meretrice publica dicere non licet sacerdoti, quod peccata illa cum ingenti dolore fuerit sibi confessa, quod in hac vel illa communitate certa crimina grassentur: non licet dicere, se pœnitentem non absolvisse: non licet confesso vultum severiorem postea exhibere. Si sacerdos non nisi ex alterius confessione novit, eum indignum beneficio esse, non potest eum prohibere; sed tenetur, ut alioqui fecisset, eundem promovere: siquidem a Clemente VIII. cautum est decreto, an. 1594. promulgato, non licere Superioribus Regularium, aut confessariis, qui postea superiores evaserint notitia ex confessione hausta ad externam suorum gubernationem uti. Denique non licet uni pœnitentium se magis addictum ostendere, si id in confessionis alienæ detrimentum cedat.

Ad inducendam vero obligationem sigilli necesse non est, confessionem integram fieri, aut pœnitentem cum vera contritione confiteri; sed sufficit, quod se voluerit accusare coram iudice a Christo constituto, vel ut ab illo absolvatur, vel adjuvetur eo modo, quo ipse judicaverit expedire. E contra si confessio tantum in hunc finem institueretur, ut confessarius ad peccandum inducatur, aut acquiratur favor sigilli, et securitas eorum, quæ narrantur, aut solius consultationis vel solatii causa, nulla contrahitur sacramentalis sigilli obligatio: neque enim ejus violatio cederet in detrimentum aut injuriam sacramenti. Quod si tamen fraus illa vel consilium confitentis non moraliter certo constaret sacerdoti, sine dubio tenebitur sacramentali sigillo.

308. *Obj. I.* Quæ juris divini sunt, non ita semper obligant, ut quandoque relaxationi locus non detur, quemadmodum de integritate materiali sacræ confessionis supra dictum fuit; ergo licet sigillum confessionis sit juris divini, posset tamen sacerdoti quandoque officium hoc reticendi relaxari.

*R. N. Cons.* Ex doctrina et traditione Ecclesiæ, ipsaque ratione constat, quod materialis integritas confessionis non semper requiratur, cum pœnitentiæ sacramenti votum aliquando sufficiat, neque ad impossibile ullus teneatur. At vero eadem Ecclesiæ traditio cum ratione nos convincit, nullo in casu licere confessionis arcanum efferre, eo quod, hac facultate permissa, confessionis præceptum a Christo latum sustineri non posset.

*Inst.* Christus, Matth. 18., jubet quidem fratrem errantem corripiprimo sine teste; mox tamen addit, si non respuerit, unum aut plures adhibendos esse testes; imo ad Ecclesiæ judicium illum esse deferendum; ergo ex illo Christi præcepto argumentum nullum pro inviolabili sigillo confessionis duci potest: contrarium enim inde sequi videtur.

*R. N. Cons.* Si cui privato non licet injuriam a proximo acceptam ante testibus aliis aperire, quam eum clam admonitum ad sanam mentem reducere frustra tentaverit; ergo sacerdoti nunquam permissum est, crimen occultum pœnitentis pandere tertio cuiquam. Nec enim a pœnitente sacerdos læsus fuit; nec crimen ipse propria experientia detexit, sed peccator id ipsi ultro est confessus hoc pacto, ut ne alteri ulli copiam ejus faceret; multo minus erratum suum obstinate defendit, prout in casu dato Christus ponit, sed a sacerdote veniam supplex petit et medelam. Denique quomodo ad



Ecclesiæ iudicium deferet sacerdos crimen pœnitentis cæteroqui occultum, quod nullo argumento idoneo posset probare?

309. *Obj. II.* Cæsarius Heisterbachiens. ex Ord. Cistere. L. 3. Histor. memorabilium c. 32. refert casum, in quo Innocentius III. consultis Cardinalibus, iusserit revelari peccatum secretum in confessione clam expositum.

R. Narrationem hanc non mereri fidem, quia nequit conciliari cum iis, quæ idem Innocentius, c. *Omnis utriusque*, in Concilio Lateranensi de inviolabili huius sacramenti sigillo sanxit. Hinc eodem modo exploditur, quod Guillelmus Antisiodorensis L. 4. tr. 6. q. 4. sum. Theol. scribit, Theologos Parisienses decidisse, tribus in hypothesibus sibi propositis licere manifestare secreta in confessione excepta. Nec enim meminit, utrum fuerint privati quidam doctores, an tota Facultas theologica. Sed et explicatio ipsa futilis et puerilis prodit, indignam illo amplissimo senatu fuisse sententiam: ait enim, ipsos dixisse: in casibus illis *sacerdos non infringit sigillum, quod deformitatem importat; sed aperit.* Contrarium plane Parisiensis Academiæ Magistri statuerunt, vulgarem illum versiculum, *hæresis est crimen, quod non confessio celat*, ut pestilentem damnando.

*Inst. 1.* Adhuc pluribus, eisque certioribus exemplis docemur, Presbyteros, imo et Episcopos peccata evulgasse, quæ ex confessionis sacramento acceperant; ergo. *Prob. Ant.* ex c. *Officii*, de pœnit. et remiss.; c. *Significasti*, de adulter.; c. *Matthæus*, de simon. et c. *Ecclæ* de renuntiat., Cardinalis Matthæus et Archiepiscopus quidam confessum sibi peccatorem ejusque peccatum ad summum Pontificem detulisse memorantur. Hisce aliisque argumentis Panormitanus, Hostiensis, Joannes Andreas, Petrus ab Ancharano, ac nonnulli Jurisconsulti ex antiquioribus ostendere nitentur, licere interdum sacerdoti secreta crimina ex confessione privata cognita, aliis aperire: ex quorum partibus stant Theologi quidam eximii, Alexander 4. p. q. 78. memb. 2. a. 2. et Silvester verbo *Confessio*. 3. q. 5.

R. *N. Ant.* Adducta exempla errori contrario adeo non patrocinantur, ut aliqua illorum veritatem catholicam adhuc fulciant. Cap. *Officii*, detexit quidem sacerdos crimen ex confessione intellectum, suppresso tamen pœnitentis nomine et conditione, unde in confitentis notitiam Pontifex venire non poterat: id quod salva fide arcani sacramentalis sæpe contingit. Cap. *Significasti*, non videtur fuisse confessio sacramentalis: adultera enim publice edixit, tam se, quam adulterum reum sacerdoti flagitium confessos fuisse: quod cum mulier nosse non potuerit, si sacramentalis fuisset confessio, plane conficitur, adulteram dixisse, sed et adulterum tertio cuidam sacerdoti crimen fassos fuisse confessione extrajudiciali, qui forte ambos in Ecclesia deprehensos adjuraverat ad dicendam veritatem, ne ipse in polluta Ecclesia sacris operaretur; aut ipsi sacrilegii pœnas timentes ei se commendarunt. Cap. *Matthæus*, Cardinalis non ait, se quid ex pœnitentiæ sacramento accepisse, sed secreta consilii capiendi causa, ad Papam retulisse scrupulum alterius, qui dubitabat de legitima sui electione. Cap. *Lectæ*, Archiepiscopo Trevir. Abbas quidam secreta ac reverenter aperuit deceptionem, quam ab æmulis passus fuerat. Cap. *Nemo*, de simon. habetur, posse aliquem de alterius reconciliatione ferre testimonium: reconciliationem autem fori externi ceremoniam esse, ut solemniter pœnitentium, aut absolu-

torum ab excommunicatione, constat ex c. *Sanctum*, de consecr. d. 4. Cap. *Exhibita*, de homicidio, quidam morti proximus dixit, se cuidam sacerdoti, qui præsens aderat, suam aperuisse conscientiam: minime vero legitur, sacerdotem aliquid ex auditis prodidisse.

*Inst. 2.* Olim confessio fiebat presbytero Pœnitentiario, qui graviora peccata retulit Episcopo, cujus deinde erat iudicium, an pœnitens deberet easdem suas culpas confiteri publice, aut permittere, ut palam ab alio recitarentur. Quod etiam declarant exempla ex Sozomeno, Petro Damiani, aliisque scriptoribus idoneis nota; ergo. *Ant.* multis adstruit Joan. Morinus L. 2. de Pœnit. c. 40., Tapperus art. 5., Lindanus, Panopliæ L. 4. c. 69., Pamelius in adnot. ad tract. S. Cypriani de Lapsis, et in L. Tertulliani de Pœnitentia.

R. *N. Ant.* Quod nititur falso hoc fundamento, pro criminibus occultis pœnitentiam publicam in primitiva Ecclesia injungi solitam fuisse. Cujus contrarium fuse demonstravimus supra n. 275. ubi etiam diluuntur, quæ ex Sozomeno adducit Morinus. Cum quondam Episcopi quidam in Italia multum se pro disciplina fecisse putassent, dum fideles cogebant, peccata sua scripto tradere, ut iis in Ecclesia publice recitatis et pœnitentes ad satisfaciendum inducerentur, et cæteri a peccatis absterrentur, Leo M. epist. 80. (al. epist. 168.) ad Episcopos Campaniæ, Samni et Piceni data, disciplinam talem nuncupat *præsumptionem contra Apostolicam regulam a quibusdam illicita usurpatione committi*; ait esse *consuetudinem improbabilem, modis omnibus submovendam*. Quæ quidem S. Leo non scripsisset, si publicatio illa peccatorum occultorum, quam Morinus et quidam fingunt, consuetudo fuisset ab Apostolis orta, et in Ecclesia primæva communiter usurpata. S. Petrus Damiani L. 6. epist. 32. (opp. t. 1. p. 234. D.) narrat, moriturum quemdam monachum, antequam sacrum viaticum sumeret, *sibi unum ex fratribus applicuisse, ejusque in aures, nescio quod, grave peccatum insurrasse*: id autem relatum ab ipsomet confessario fuisse. Sed ex facto isto nihil Morinus pro sua opinione concludere potest. Fecit enim ista presbyter defuncto jam pœnitente, speciem criminis reticuit, ac facile crediderim, seculo decimo rudissimo illo et infelicissimo, præter simplicem illum, plures adhuc presbyteros hoc errore fuisse imbutos: ut proinde Pontifices et Concilia tum confessarios de exactissima sigilli huius custodia merito admonerint. Inter quos ipse Petrus Dam. serm. de S. Andrea (opp. t. 2. p. 311. D.) ad sacerdotem, *videat, inquit, ne unquam de his, quæ sub signaculo confessionis accepit, aliquam faciat mentionem*.

*Inst. 3.* Sacerdotes ea solum peccata confitentium manifestare prohibebantur, quæ legibus humanis plecti oportebat; ergo.

R. *N. Ant.* S. Leo prohibitionis causas binas subdit cum disjunctione: *Ne multi a pœnitentiæ remediis arceantur, dum aut erubescunt, aut metuum inimicis sua facta reserari.* Tum vero pergit: *Sufficit enim illa confessio, quæ primum Deo offertur, tum etiam sacerdoti: tunc enim demum plures ad pœnitentiam poterunt provocari, si populi auribus non publicetur conscientia confitentis.* Ex quibus constat, probabile non esse, quod critici illi obtendunt, nullo veterum concilio, nullo Pontificum antiquorum decreto ante Innocentium III. cautum fuisse, ne audita in confessione revelentur, nec ullum hac super re verbum apud antiquiores Patres extare; cum legem illam suppri-